

QVINTERIVS ANDERNACVS MEDICVS ARGENTINENSIS.



Q Vinterius Andernaci ad Mosellam apud Belgas natus est anno 1510. Is cum prima artium fundamenta in patria & uicina Germania feliciter percepisset, sese Lutetiam Parisiorum contulit, atq; Philosophiae & linguarum studijs magna diligentia operam dedit. In ijs etiam adeo ob præclaram ingenij indolem profecit, ut in celebri ea schola Philosophiam publicè aliquandiu magna laude docuerit. Inde animum ad Medicā professionem adiecit, & uigilanti studio summa Doctrinā in ea insignia impetravit. Postea anno circiter 1543 Argentinam in Germaniam rediit, & liberali stipendio Magistratus prouocatus, Medicinā exercecōpit, idq; tanto cum fructu, ut eius eruditio, & in egrotis curandis felicitas, omnibus innotesceret. Cum etiam tempus supererat, quædam ex Græco in Latinam linguam trāstulit, & literariam rem pub. augere contendit. scripsit etiam quædam de re Medica, & inter alia libellum de peste, cum 1564 lues illa per Rheni tractum atrocious grassaretur. Is Quinterius adhuc Argentinæ superest, atq; suis uirtutibus & rerū experientia apud domesticos & exterios magnū sibi nomen comparauit. Anon.